



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio IV. Vtrùm, & quomodo Conscientia recta debeat existere, ut obliget?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

merces sustulisti, quas tamen conservasti; siquidem res ubicumque est, domini est. Imò idem dicendum, si res apud te perit, quia fuisti in mora restituendi illam. Ita cum communi *P. Fagunda. cit.* Unde ex his patet, quæ, & quanta sit obligatio conscientiæ rectæ.

SECTIO IV.

Utrum, & quomodo Conscientia recta debeat existere, ut obliget?

81. **A**DVERTENDUM est primò, actus voluntatis, & intellectus tripliciter dici existere, nempe formaliter, virtualiter, & habitualiter: explicatur exemplo intentionis, quæ requiritur in Sacerdote ad Confessionem, & ad Missam celebrandam, quæ etiam triplex est, nempe formalis, virtualis, & habitualis, quia tripliciter dicitur perseverare, nempe formaliter, virtualiter, & habitualiter; cum tamen sit idem actus; sic enim idem homo dicitur perseverare juvenis, & senex secundum diversa tempora.

82. Advertendum secundò, intentionem formalem dici illam, quæ formaliter durat, adhuc quando rem facimus, quam antea volebamus per talem volitionem, sive intentionem, quæ optima est ad recipiendam, & administranda Sacramenta; non tamen est necessaria, cum sufficiat virtualis: Hæc autem tunc datur, quando illa prior jam non durat in se formaliter, sed in aliqua sua virtute, aut effectu; sic volitio dicendi Missam causat aliam movendi pedes ad Ecclesiam, & hæc aliam induendi vestes sacras, sicque de aliis usque ad finem Missæ, in quibus illa prima intentio formalis dicitur perseverare virtute, appellaturque intentio virtualis.

83. Patet, nam sicut ignis physice causat hunc calorem, & hic calor alium calorem, in quo ignis dicitur perseverare ut in sua virtute, & effectu, licet jam nõ duret; ita etiam una volitio causat aliam per causalitatem moralem, suadens scilicet voluntatem ad illam aliam volitionem eliciendam; eo modo, quo movet Petrus ad amorem Dei, qui ei suadet, ut Deum amet; ergo licet illa prior volitio dicendi Missam jam non duret in se formaliter, quia tamen ab illa pendent omnes aliæ actiones externæ, quibus fit Missa, dicitur talis prior volitio virtualiter permanere in illis ut in effectibus; & sicut consilium ad ferandum dicitur manere in furto, quando hoc fuit causatum ab ipso consilio.

84. Advertendum tertio, intentionem habitualemente dari, quando illa prior volitio celebrandi Missam jam non durat neque in se, neque in aliquo effectu, eo quod omnes illius effectus jam cessarunt, non tamen fuit retractata, sicque quandiu per contrarium actum non retractatur, dicitur habitualiter permanere. Patet in volitione furandi, quam Petrus habuit heri; hæc enim quandiu durabat heri, dicebatur peccatum actuale; hodie verò, si Petrus per contrarium actum illam non retractavit dicens: *Nolo furari*: dicitur peccatum habituale, quandiu Deus illud non condonat. His positis.

85. Difficultas modò est: Utrum quando quis actu peccat contra conscientiam rectam, hæc debeat actu, sive formaliter: an potius virtute, seu habitu, existere? Prima sententia asserit, opus esse, ut conscientia, sive sit recta, sive erronea, actu existat, dum opus contra ipsam fit, ut culpæ imputetur, sicque; neminem actu agere contra conscientiam rectam, nisi

quando illa actu existit, & durat hoc iudicium: *Hic & nunc datur obligatio missæ*: Unde secundum hanc sententiam non imputatur homini omisso Missæ, nisi quando conscientia, sive tale iudicium formaliter existit. Ita loquendo de conscientia erronea tenent *P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 8. quæst. 12. P. Sal. cit. sect. 1. num. 7. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. fine.*

86. Fundantur 1. Homo non dicitur proprie agere contra conscientiam, nisi quando actu iudicat, se male operari; ergo si aliquando male operatur sine tali iudicio, non dicitur operari contra conscientiam, quam habet, sed quam posset, & deberet habere, & ex conscientia erronea culpabilis. Respondeo negando antecedens; homo enim dicitur peccare, & agere contra conscientiam rectam, non solum quando hæc actu, & formaliter existit, sed etiam quando solum existit virtualiter, ut ex dicendis constabit.

87. Fundantur 2. Ad hoc, ut homo dicatur agere contra conscientiam rectam, debet hæc aliquo modo existere; sed non sufficit, quod existat habitualiter; siquidem sapissimè, qui habent habitus conscientiæ rectæ, non peccant propter naturalem inconsiderationem: non virtualiter; falsò enim supponitur, quod sic existat; siquidem, ut intentio præcedens dicatur manere virtute, debet per aliquem effectum derivari, & perseverare; alioquin nihil refert, an longo, aut brevi tempore antea præcesserit talis intentio; Conscientia autem recta præcedens caret omni prorsus effectu, in quo manere dicitur; ergo ut homo dicatur agere contra illam, debet actu existere.

88. Respondeo negando minorem quoad secundam partem, licet enim ad hoc, ut quis peccet contra conscientiam rectam, non sufficiat, quod hæc habitualiter existat; satis tamen erit, si existat virtualiter, ut infra dicemus; ad hanc autem existentiam virtualemente requiritur existentia alicujus, qui sit effectus ipsius conscientiæ, qualis effectus est, aut recordatio, aut quasi recordatio conscientiæ præteritæ, nempe apprehensio operis pravi continuandi, aut ut antea voluit, sive electi, aut ut jam inchoati, in qua notitia, non solum existit virtualiter prima illa intentio prava occidendi v.g. inimicum, aut furandi, sed etiam ipsa conscientia recta, quæ jam præterit.

89. Fundantur 3. Ad hoc, ut infidelis peccet contra conscientiam errantem, opus est, ut hæc actu existat; alioquin sequeretur, semel existentem ad operis bonitatem necessarium esse illud ad idolum referre, ipsum peccatum in omnibus operibus ex objecto honestis, quæ illius iudicii immemor efficeret, quod est absurdum; ergo etiam, ut peccet contra conscientiam rectam, opus erit, quod hæc actu similiter existat. Respondeo infidelem, qui ex ignorantia crassa putat necessarium esse ad operis bonitatem, illud referre ad idolum, non peccare in operibus ex se bonis, quia poterit multa efficere, non solum absque relatione actuali, sed etiam virtuali in idolum. Quòd si opera bona in idolum referantur, saltem virtualiter, eo modo, quo diximus, huiusmodi opera erunt simpliciter prava, & contra Conscientiam, quam habere debuerat.

90. Fundantur 4. Non potest homo peccare, nisi voluntas peccatum, ut tale cognitum actualiter, amplectatur; sed omnis cognitio actu representans voluntati tale peccatum, est conscientia, quæ si sit cognitio iudicativa formaliter, aut virtualiter cum veritate, & certitudine, est conscientia recta, si verò talis non sit, spectabit ad aliquod ex aliis membris conscientiæ, de quibus supra; ergo quoties quis operatur contra conscientiam rectam, hæc debet

debet actu existere. Respondeo majorem esse veram, si loquamur de inchoatione peccati per primam malam voluntatem: non verò si loquamur de continuatione peccati; tunc enim non requiritur actualis existentia conscientia recta, sed sufficit virtualis, ut diximus, & infra dicemus.

91. Secunda sententia docet, quando quis actu peccat contra conscientiam rectam, hanc non actu, sed habitu, vel virtute existere. Ita Duran. in 2. dist. 39. q. 5. n. 6. Hispal. ibid. quest. unica, art. 3. notab. 4. & alii: pro quibus: Objicies 1. Conscientia est judicium practicum; sed quando hoc existit, semper infallibiliter sequitur opus; ergo existente actu conscientia, actu non agitur contra illam. Respondeo datâ majori, negando minorem; licet enim conscientia sit judicium practicum (de quo jam supra,) non tamen est opus, ut homo semper opereatur juxta illud, cum sapè contra illud operetur; quâ de relatè P. Soar. infra citandus.

92. Objicies 2. Voluntas non tendit in objectum, nisi sub ratione boni; sed perseverante judicio de aliquo objecto, quod sit bonum, non intelligitur quomodo oppositum judicetur bonum; ergo cum conscientia recta sit judicium practicum de objecto bono, impossibile est, quod voluntas tendat in oppositum; consequenterque quod peccet contra conscientiam rectam actu existentem. Respondeo concedendo voluntatem per actum prosecutionis non tendere in objectum, nisi sub ratione boni; distinguendo tamen minorem: non intelligitur quomodo oppositum judicetur bonum, si sermo sit de eadem bonitate; concedo minorem: si de diversâ; nego minorem.

93. Declaratur exemplo, quia in casu, quo aliquis laborat pestilentia, & Confessarius judicat, esse bonum bonitate charitatis, eaque obligatoriâ, succurrere illi infirmo, qui vult confiteri, tale judicium est conscientia recta; potest tamen facere contra hanc conscientiam, nolendo ei succurrere, quatenus ei non succurrere est Confessario bonum bonitate conservationis vitæ, quam ei proponit etiam verè judicium, ut motivum contrariæ bonitatis, quæ quidem judicia, cum sint de diversis objectis, possunt simul dari in eodem intellectu. Unde quia Confessarius potest etiam operari contra conscientiam rectam per actum fugæ, & detestationis objecti, quod conscientia proponit ut honestum, & obligatorium ex charitate, nolens succurrere infirmo, qui actus habet pro objecto malum, nempe amissionem vitæ, sufficienter salvatur, quomodo intellectus simul judicat de eodem objecto, quod sit bonum, & malum; quia scilicet bonitas, & malitia sunt diversi ordinis, sicque minimè contraria, cum malitia sit naturalis, sive pœnæ, sive alterius damni respectu naturæ; bonitas autem sit moralis.

94. Idem dicendum est, quando conscientia recta est de aliquo præcepto prohibente malum, quod ipsa conscientia judicat ut tale: tunc enim homo facit contra ipsam conscientiam appetendo illud malum, quod judicat ut bonum, non quidem bonitate contrariâ malitiæ, quam ipsa conscientia recta proponit, sed aliâ diversâ, ut ex dictis patet.

95. Objicies 3. Philosophus 7. Ethicor. cap. 5. docet, quod stante consideratione actu, & in particulari de aliquo agendo, impossibile sit, quod voluntas tendat in oppositum; sed conscientia versatur circa agibilia particularia; ergo quando sit contra illam, jam non existit actu, sed tantum habitu, cum habitus conscientia non habeat repugnantiam cum judicio considerante contrarium illius, quod dicitur:

habitus conscientia. Respondeo Aristotelem, si fideliter legatur, loqui de judicio terminato ad medium necessarium, suppositâ efficaci intentione finis; in hoc enim casu impossibile est voluntatem ferri in oppositum. Sed ex hoc non sequitur, conscientiam rectam actu non existere, quando quis contra illam operatur in aliis casibus. Addit P. Soar. citand. num. 7. tale judicium non esse propriè conscientiam; siquidem non tam est de honestate, aut turpitudine actionis, quàm de utilitate, seu connexionè cum priori affectu.

96. Tertia sententia affirmat, quando quis actu peccat contra conscientiam rectam, hanc aliquando manere tantum habitu, aut virtute; aliquando tamen actu; quod tamen intelligit de conscientia rectâ particulari, aut universali, non ultimata; nam de particulari ultimata dicit, neminem agere contra illam, dum actu manet, & existit. Ita Capreol. in 2. dist. 39. quest. unica, art. 3. ad 2. Durand. contra 2. conclus. & Somien. quest. unica, ad 5. contra 5. conclus.

97. Ad probandam primam partem adducunt exemplum illius, qui prius judicavit, injuriam non esse inferendam inimico, quia est peccatum vindictæ: postea autem irâ commotus, judicavit inferendam; aut quia talis actus est delectabilis ob appetitûs vindictæ expletionem: aut quia utilis ad resarciendam injuriam sibi factam; sed cum hoc judicio non stat illud prius, quod erat judicium conscientia; ergo quando quis actu peccat faciendo contra conscientiam rectam, hæc non semper actu existit: existit autem aliquando, ut existit quando quis contra hoc judicium: Hæc vulneratio est vindictæ; peccat vulnerando; tunc conscientia illa particularis existit simul cum peccato.

98. Ad probandam secundam partem circa conscientiam rectam universalem, utuntur autoritate D. Thom. 1. 2. quest. 77. art. 2. & quest. 3. de malo, art. 9. Conscientiam verò particularem ultimam vocant illam, quâ judicatur finaliter, aliquid nullo modo esse faciendum, sed oppositum, contra quam conscientiam, quatenus actu existit, nemo, inquit, potest agere: Per conscientiam autem particularem non ultimam intelligunt v.g. hoc judicium: Hæc vulneratio est sumptio vindictæ de inimico: sicut per universalem non ultimam intelligunt hoc judicium: Vulneratio est sumptio vindictæ.

99. Non placent primò, quia judicium de actione universali faciendâ, aut non faciendâ appellant Conscientiam universalem; nam, ut jam supra ostendimus, quando in intellectu datur aliud judicium particulare immediatè regulans actionem, illud universale non est conscientia, sed hoc particulare, per quod actio immediatè regulatur. Neque D. Thom. Adversarius favet, ut legenti constabit.

100. Non placent secundo, quia nobis non placet distinctio illa Conscientia particularis ultimata, & non ultimata; nam aut per Conscientiam ultimam intelligunt illam, quæ dicitur, aliquid esse omninò faciendum, & non oppositum: aut illam, quæ ultimò dirigit voluntatem ad volendum, vel non volendum: Si primum, talis appellatio non est congrua; siquidem nullum datur fundamentum, propter quod soli tali judicio approprietur: tum quia cum tali judicio adhuc non repugnat dari judicium de bonitate sufficiens ad excitandam voluntatem in contrarium; sicut enim illud judicium, quod dicitur ultimatum, non infert necessitatem voluntati, nisi præsuppositâ aliâ volitione, si fortè præcessit; ita neque impedit dari simul in intellectu judicium
circa

circa oppositum objectum, cuius vi possit voluntas in illud ferri. Si secundum, inutilis est talis distinctio; siquidem omnis conscientia potest esse proximè, & immediatè regula voluntatis; ergo contra illam actu existentem potest voluntas de facto operari; imò ita operatur, quoties peccat contra conscientiam, quam ipsi vocant non ultimam, cum in illa involvatur sufficiens notitia de malitiâ operis ad voluntatem ab illo removendam.

101. Neque obstat exemplum de injuria adductum: aut enim admittunt, quod præsentè passione, seu irâ, datur aliqua, saltem simplex apprehensio virtualiter judicativa de malitiâ sumptionis vindictæ; aut nulla existit: Si primum, illa est conscientia recta: si secundum, tunc non fiet contra conscientiam rectam, sed aut contra nullam conscientiam, si nulla detur apprehensio, aut judicium de malitiâ; aut contra aliam ex quinque aliis speciebus Conscientiæ, ad quam talis apprehensio spectaverit. His ita appositis, & rejectis sententiis, quid hac in re sentiamus, jam dicimus: Igitur.

102. Dico 1. Quando quis peccat contra Conscientiam rectam, ordinariè facit contra illam actu existentem. Hæc videtur esse Doctorum, quos supra pro prima, & tertiâ sententiâ retulimus, tenent etiam Henric. quodlibet. 10. quest. 13. lit. M. & N. Bassol. in 2. dist. 39. quest. unica. art. 4. §. Sed. Cordub. lib. 2. quest. 12. ad 4. P. Soar. cit. d. 12. sect. 1. num. 7. & alii. Probatur primò, quia peccans contra Conscientiam rectam ordinariè experitur remorsum, & contradictionem intellectûs; sed hujusmodi remorsus & contradictio est Conscientiæ rectæ; ergo peccans contra Conscientiam rectam, ordinariè facit contra illam actu existentem.

103. Probatur secundò, quia non datur repugnantia in eo, quòd aliquid fiat contra Conscientiam rectam actu existentem, ut patet ex hæcenus dictis; ergo ita ordinariè contingit in peccantibus contra illam; cum talis operandi modus sit nobilior, utpote cum perfectiori cognitione objecti quoad honestatem & malitiam; & aliunde non repugnet, neque detur difficultas.

104. Dico 2. Peccans contra Conscientiam rectam aliquando facit contra illam virtute tantum existentem. Ita Doctores secundæ, & tertiæ sententiæ, tenent etiam Medin. 1. 2. quest. 19. art. 6. Roiz. tomo 1. sum. cap. 71. num. 2. & alii. Probatur, quia sicut qui iter facit ex intentione sacrificandi in templo regio Sumerfetenfi, dum iter facit, plures actiones bonas exercet inter se concatenatas, licet formaliter non existat actu illa prima intentio sacrificandi, sed tantum virtualiter; ita qui longum iter conficit ex intentione occidendi inimicum, multas etiam exercet actiones malas inter se connexas, licet jam actu non existat formaliter prima illa intentio occidendi, sed tantum virtualiter; atque hujusmodi actiones malæ inter se connexæ non sunt contra Conscientiam rectam formaliter, sed tantum virtualiter existentem; nam sicut illa prima intentio occidendi abolita est formaliter, & permanet tantum virtualiter; ita & Conscientia recta; ergo peccans contra Conscientiam rectam, aliquando facit contra illam virtualiter tantum existentem.

105. Dico 3. Ut Conscientia recta obliget, sufficit, quod existat virtualiter per aliquam sui recordationem, v. g. ut ego hodie obliger ad audiendam Missam, & peccem illam omitendo, sufficit, quod ego hodie recorder, me heri habuisse judicium, quo judicavi me teneri ad Missam sequenti die. Ita P. Soar. cit. d. 12. sect. 1. n. 7. Cordub. cit. lib. 2. q. 12. Tom. 2.

& alii communiter. Probatur, quia hujusmodi recordatio est quoddam judicium virtuale repræsentans sufficienter legem, aut præceptum; ergo sufficit ad inducendam obligationem; sic enim dicunt Logici, sufficere recordationem præmissarum ad inferendam conclusionem. Confirmatur, quia intentio virtualis sufficit ad omnia Sacramenta ministranda, etiam in matrimonio, in quo ipsi contrahentes sunt ministri; ergo etiam sufficit Conscientia virtualis, seu virtualiter existens, ut homo dicatur operari contra illam.

Inferes primò: Ergo etiam si nullo modo existat, adhuc dicitur homo contra illam operari. Respondeo negando illationem; nam si non existat saltem virtualiter Conscientia, cessat omninò obligatio; sicque homo faciens aliquid contra præceptum, nullâ præcedente advertentiâ, nec venialiter peccat; siquidem impossibile est dari peccatum sine consideratione actuali, saltem confusâ, & virtuali circa obligationem legis, & malitiam objecti, ut docent P. Soar. P. Sanch. P. Vasq. apud Joan. Sanch. d. 19. num. 1. Unde ignorantia (idemque de oblivione & inadvertentiâ) excusat ab omni peccato, si ipsa fuerit invincibilis; est autem invincibilis, quando præceptum non venit in mentem, neque aliqua de tali præcepto datur dubitatio, quâ homo possit conscientiam talis præcepti inquirere. Ita Doctores citati.

Inferes secundò: Ergo etiam sufficit ad peccatum, quod detur advertentia interpretativa; nempe quod homo non consideret suam obligationem eo tempore, quo tenebatur advertere, licet talem obligationem ignoret, aut non advertat. Respondeo negando illationem contra Zunel. & P. Valent. id afferentes apud P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 8. num. 86. qui meritò addit, hanc opinionem esse improbabilem. Et ratio est, quia malitia objecti non imputatur ad peccatum, nisi sit volita; non potest autem esse volita, nisi prius sit cognita, sed non potest esse cognita per advertentiam interpretativam; siquidem hæc non est cognitio, imò carentia cognitionis eo tempore, quo à parte rei datur obligatio habendi advertentiam; ergo &c. Homo tamen excusatur, quia non considerat obligationem habendi talem advertentiam; sicut homo tempore amentię habet præceptum audiendi Missam, à quo tamen excusatur propter amentiam. Vide Bonacin. de Peccat. d. 2. q. 2. punct. 3. n. 12.

Dices: Aliquando Doctores præsertim Canonista, dicunt ad peccatum satis esse, si quis teneatur, & possit scire, aut facere aliquid, & id nesciat, aut non faciat; ergo, &c. Respondeo hos Doctores intelligendos esse, dummodo talis homo nesciat, aut non faciat, cogitando tamen suam obligationem sciendi, aut faciendi talem rem; nam si nullo modo id cogitet, non peccabit. Ita P. Sal. cit. & Joan. Sanch. cit.

Inferes: Ergo non peccant mortaliter Confessores, Judices, Advocati, Medici, & alii, qui præsuperbiâ, & stupiditate existimant, se ad munus suum exequendum obtinere conscientiam requisitam, cum tamen ab illâ maximè distent, & de suâ ignorantia nihil cogitant. Respondeo concedendo illationem, si nunquam adverterunt suas obligationes, neque agnoverunt periculum violandi, & deficiendi suis obligationibus; cum tamen pauci sint ita præsumptione sua obcecati, ut non adverterint totam, aut saltem partem suæ obligationis. Ita P. Sal. cit.

Dices: Sequeretur ex hoc, nulla dari peccata occulta peccatori, & quæ ille non cognoscit; sed

sed hoc est contra illud Psalm. 18. ibi: *Delicta quis intellegit, ab occultis meis munda me.* Deinde aliqua existimamus bona, quæ tamen ut peccata nobis imputantur; juxta illud Proverb. 14. 12. *Est via, qua videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Et cap. 21. 2. *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.* Et Christus Dominus Joan. 16. 2. de Tyrannis Apostolos interficiendibus ait: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: cum tamen peccarent; sicut & D. Paulus, cum illos persequeretur zelo legis antiquæ; ergo &c.*

III. Respondeo negando sequelam, neque citata loca aliquid probant contra nos; siquidem David loco citato peccata occulta dicit illa, quæ antea fuerant commissa cum notitiâ obligationis, de quibus tamen postea non recordabatur, an commiserit, vel fecerit cum cognitione obligationis. In aliis verò exemplis adductis ex sacra Pagina semper debet intervenire saltem aliqua dubitatio: utrum homo tunc peccaverit? Nam si nulla occurrit dubitatio, nec advertentia, talia opera, nempe Apostolorum mors non imputaretur Tyrannis, sicut neque Paulus sua persecutio contra Christianos; tunc enim conscientia nec virtualiter existebat.

II. Inferes: Ergo etiam manebit verè confessus, qui per ignorantiam omisit contritionem, vel attritionem; aut putavit illam habere, cum tamen non habuisset. Respondeo negando illationem; ratio est, quia ignorantia, sive inadvertentia obligationis, solum excusat à peccato; non tamen ponit materiam requisitam ad valorem Sacramenti, qualis est contritio, vel attritio; sicut neque media necessaria ad salutem.

III. Hinc est, quod Petrus putans, se esse verum Sacerdotem, cum tamen non sit, si Paulum absolvat, non peccat, Paulus tamen non mansit absolutus. Idem est de eo, qui matrimonium contraxit cum impedimento dirimente ignorato: aut invincibiliter ignoravit esse Deum; neuter enim peccavit; & tamen neque primus fecit verum matrimonium; neque secundus salvabitur; siquidem notitia explicita, quod detur unus Deus, est necessaria necessitate mediæ, id est, qui talem notitiam; etiam invincibiliter non habuerit, non salvabitur: secus tamen dicendum de notitia explicita Trinitatis, & Incarnationis, solum enim est necessaria necessitate præcepti, id est, peccat, qui illam culpabiliter non habuerit, si tamen invincibiliter, adhuc salvabitur, si cognoscat esse aliquem mediatorem. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. Richard. in 3. dist. 25. art. 4. quæst. 1. Sor. in 4. dist. 5. q. 1. art. 2. Vega lib. 6. Trident. cap. 20. Cordub. Henrig. Medim. P. Soar. tomo 4. in 3. p. d. 4. sect. 2. num. 17. & latius d. 12. de Fide, sect. 4. à num. 10. P. Sa verb. Fides. & alii, quos citat, & sequitur P. Pal. tr. 4. de Fide, d. 1. punct. 9. num. 7. Contra P. Molin. 1. part. quæst. 1. d. 1. P. Valent. 2. 2. d. 1. q. 2. punct. 4. P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 2. num. 8. quorum sententia est probabilis.

II. Oppones: Ad Sacramenta ministranda non requiritur, nec sufficit intentio virtualis, seu virtualiter existens; ergo neque ad obligationem inducendam requiretur, aut sufficit conscientia virtualiter existens. Respondeo negando antecedens: nullum enim Sacramentum administrari potest absque intentione, saltem virtuali, seu virtualiter existente, quæ tamen sufficit, ut diximus. Unde si Sacerdos post auditam confessionem, amentis fieret, aut dormiret, & sic absolveret, non valeret absolutio, ut cum communi docet P. Sanchez lib. 2.

de Matrim. d. 11. num. 12.

Instabis: Si Petrus incidere in amentiam, aut dormiret eo tempore, quo ejus Procurator nomine ipsius contraheret matrimonium, v. g. in India, tale matrimonium valeret; & tamen Petrus in matrimonio est minister, & non haberet intentionem illam virtualem, sicut non haberet Sacerdos ille absolvens; ergo aut ista non requiritur; aut sicut Sacerdos invalide absolvit, ita Petrus invalide contraheret. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Petrus in eo casu non est minister per se ipsum, sed per suum Procuratorem, qui tum temporis est sui compos, ut supponimus, & in quo conservatur virtualiter intentio Petri, sicque Petrus non contrahit absque intentione: at verò Sacerdos, cum non possit per alium absolvere, sed per se ipsum, idè si ipse tempore absolutionis dormiat, aut amentis fiat, non facit Sacramentum ob defectum intentionis virtualis.

Urgebis: saltem ad recipienda Sacramenta nulla requiritur intentio, neque virtualis; ergo neque conscientia, ut obliget, requirit existentiam virtualem. Respondeo antecedens esse verum in infantibus, & perpetuo amentibus, qui cum infantibus comparantur; horum enim intentionem supplet Christus Dominus, ut docet P. Soar. de Sacram. d. 14. sect. 2. non ita tamen esse verum in adultis, quibus nullum Sacramentum valide administratur absque illorum voluntate, & consensu: non oportet tamen, quod talis consensus sit formalis, aut virtualis, sed sufficit, quod illum non retractaverint.

Hinc est, quod si quis ante amentiam petiit Baptismum, vel ante somnum, potest in amentia, aut somno postea baptizari. Ita text. in cap. *Majores de Baptismo.* Similiter potest Extrema Unctio dari infirmo, qui jam non præbet consensum, sive intentionem, quam tamen Ecclesia præsumit antea præcessisse in tali homine. Et ratio est, quia omnis fidelis præsumitur, habuisse intentionem ferendi omnibus Sacramentis institutis à Christo Domino; siquidem nemo præsumitur fuisse immemor aternæ suæ salutis per text. in l. ult. ad l. *Julianam repetund.* cap. *Sancimus*, l. q. 7.

Unde inferitur cum *Lara de Capell. lib. 1. cap. 11.* quod licet privetur sepultura Ecclesiastica ille, de quo constat obiisse in peccato mortali, non tamen idè privandum esse sepulturâ illum, qui reperitur proprio ense confossus, aut laqueo suspensus. Et ratio est, quia non præsumitur, quod ille homo sibi intulerit mortem; nemo enim præsumitur, quod carnem suam odio habuerit per text. in cap. *Non estimamus*, 13. quæst. 2. Idem dicendum de eo, qui sibi intulit vulnus mortale, qui tamen ante mortem egit poenitentiam; siquidem Ecclesia non eis negat sepulturam, quos in extremo vitæ suæ poenitet peccasse juxta text. in cap. *Si quis autem, de Poenitent. dist. 7.*

Replicabis. Potest conferri Baptismus dormienti, vel amenti, qui Baptismum antea petiit, ut diximus; ergo etiam eodem modo poterit conferri poenitentia, sive absolutio. Respondeo consequentiam mihi videri concedendam; licet enim illam non invenerim apud Doctores, ex illorum tamen doctrinâ satis colligitur, quatenus dicunt, posse absolvi moribundum jam extra rationis usum, si conflet dicto alterius, aut aliis signis, quod antea petierit confessionem, Ita D. Thom. opuscul. 65. §. 8. *De extrema Unctione, P. Vasq. tomo 4. in 3. p. quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 4. & 5. P. Soar. tomo 4. d. 23. sect. 1. P. Valent. tomo 4. di. 7. quæst. 11. punct. 1. P. Agid. P. Fillin.*

P. Filliuc. P. Reginal. P. Fagund. P. Tolet. P. Sa, P. Laym. & alii, quos citat, & sequitur *Dian. part. 3. tract. 3. resol. 4.* contra Thomistas oppositum tenentes.


120. Imò addunt aliqui, quos etiam citat, non tamen sequitur idem *Dian. proximè, resol. 8.* quod possit Confessor absolvere moribundum sensibus destitutum, qui neque petiit confessionem, neque signum contritionis dedit; siquidem homo Christianus prælumitur in illo mortis articulo voluisse confessionem, & contritionem effecisse; ac proinde poterit absolvi, saltem sub conditione, nempe: *Si es capax, ego te absolvo.* Quam opinionem dicit ab extrinseco probabilem ipse *Dian. cit.*

121. Dices: sequitur ex dictis, quod si Sacerdos in Missa dormiat, dum sit Concio, postea non ritè consecret, nisi habeat novam intentionem formalem; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. Respondeo primò, stando in rigore metaphisico ita videri dicendum; siquidem tunc e somni cessavit prior intentio formalis, & realis. Undè si tempore somni proferret verba consecrationis, non verè consecraret ob defectum intentionis; ergo signum est, quòd tunc nulla duraverit intentio.

122. Respondeo tamen secundò, & melius, talem Sacerdotem adhuc post somnum conservare intentionem virtualem, & ritè consecrare; sic enim qui hodie habuit intentionem petendi Romam cras, etiam postquam dormivit, conservat hujusmodi intentionem virtualem, ut communiter docent Doctores; ergo similiter. Neque obstat, quòd non possit consecrare, dum dormit; administratio enim Sacramentorum requirit actionem liberam; hæc autem non datur in somno. Vide *P. Soar. de Sacram. d. 13. sect. 3. § Quo circa. P. Vasq. de Sacram. d. 138. num. 178. P. Lugo de Sacram. d. 8. sect. 5. num. 84.*

SECTIO V:

Utrum, & quomodo Conscientia recta deponi possit?

123. DVERTES primò, Conscientiam rectam deponi, idem esse, atque cessare ab illo iudicio, quo rectè, & verè judicamus, dari hîc & nunc obligationem faciendi talem, aut talem rem. Secundò, quatuor modis posse conscientiam deponi, ut notavit *Adrian. quodlib. quæst. 2. art. 3. lit. B.* Primò per inconsiderantiam absque liberrate. Secundò per voluntariam distractionem, ut faciunt illi, qui sine remorsu volunt operari. Tertio per rationes inducentes in contrarium, ita ut intellectus maneat suspensus, & dubius pro utraque parte. Quarto per rationes inducentes in contrarium, ita ut intellectus non maneat dubius, sed cum assensu contrario Conscientiæ rectæ. His positus.

124. Dico I. Conscientia recta potest licitè deponi primo modo. Ita probabilior, licet non communior sententia, eam tamen tenent *Adrian. cit. proximè, Cordub. lib. 1. quæst. 12. proposit. 4. Lorca sect. 2. d. 40. §. ult. & videtur esse P. Sal. cit. num. 30.* dum ait; quando iudicium est certum physicè, aut moraliter, non posse conscientiam absque novatione, vel autoritate deponi; ergo supponit, datâ novâ ratione, vel autoritate, posse deponi. Conclusio igitur.

Tom. 2.

125. Probat, quia sæpè per naturalem oblivionem definit homo cogitare de sua obligatione; consequenterque deponit Conscientiam rectam circa illam; sed oblivio naturalis, & invincibilis excusat à peccato; ergo Conscientia recta licitè deponi potest per inconsiderantiam absque peccato.

126. Dices: Sequeretur ex hoc, quòd idem actus voluntatis, qui modò est liber, & peccaminosus mortaliter, possit postea fieri necessarius, consequenterque non peccaminosus, si desit omnis advertentia; sed hoc non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam, neque ex hoc sequitur aliquod inconveniens, ut patet in homine, qui cum plenâ advertentiâ haberet hanc volitionem: *Solo homicidium*: tunc enim peccaret mortaliter: si autem desit omnis advertentia, aut sit imperfecta, perseveret tamen eadem volitio, tunc jam nullum erit peccatum; si nulla sit advertentia; aut solùm erit veniale, si advertentia sit imperfecta. Ita *P. Soar. P. Sanchez, P. Reginal. P. Vasq.* quos citat, & sequitur *Bonacin. tomo 2. de Peccat. d. 2. q. 2. punct. 3. n. 12.*

127. Inferes: Ergo peccatum mortale potest transire in veniale. Respondeo concedendo illationem cum communi Doctorum. Imò etiam peccatum veniale potest aliquando transire in mortale; si homo v. g. habeat nunc volitionem furandi cum solâ advertentiâ imperfectâ, solùm venialiter peccat; si autem conservet eandem volitionem, & ei adveniat perfecta, & plena advertentia, jam erit peccatum mortale.

128. Instabis: Albedo non potest mutari in nigredinem; alioqui essentia non essent immutabiles; ergo neque peccatum veniale sic poterit mutari in mortale, aut è contra. Respondeo concedendo consequentiam in sensu, in quo antecedens est verum: nam sicut albedo non potest mutari in nigredinem; ita etiam malitia venialis non potest mutari in mortalem: verumtamen, sicut subjectum albedinis, nempe lapis, potest mutari in nigrum per nigredinem, cum antea esset album per albedinem; sic etiam actus, seu volitio, quæ modò sine advertentiâ perfecta est mala venialiter per malitiam venialem, postea adveniente perfecta advertentiâ fit mala mortaliter per malitiam mortalem; in quo sensu locuti sumus.

129. Advertes primò, juxta hanc doctrinam multipliciter posse peccatum mortale mutari in veniale: Primò ob rationem imperfectæ deliberationis. Secundò ex Conscientia erronea, ut si habeam Conscientiam rectam distantem verè homicidium esse peccatum mortale, & postea habeam Conscientiam erroneam distantem, quòd solùm sit peccatum veniale. Tertio ob mutationem præcepti gravis in leve, ut si haberem voluntatem violandi jejunium graviter obligans, & Pontifex relaxando priorcm obligationem gravem, solùm vellet me obligare sub veniali; tunc enim si perseveraret mea volitio non jejunandi, solùm haberet malitiam venialem.

130. Advertes secundò, peccatum veniale similiter posse etiam in mortale multipliciter mutari: Primò per adventum perfectæ advertentiæ; sic enim si quis haberet volitionem occidendi cum imperfectâ advertentiâ, solùm peccaret venialiter; si autem postea plenè adverteret, eadem volitio esset peccatum mortale. Secundò etiam ex conscientia erroneâ, ut si quis nunc haberet volitionem mentiendi, judicans mendacium solùm esse peccatum veniale, & postea judicat esse mortale. Tertio similiter per mutationem præcepti levis